

N. 3. 13, Bibl. Publ. Cantabrigiae, chartaceus, ut videtur, et serioris aetatis, fortasse saec. xv. ineuntis, pulcherrime scriptus, continet Vitam Euripidis, duabus manibus absolutam, Hecubam, Orestem, et quatuor libros Catonis Sententiarum. Sequitur pars posterior Hecubae (a v. 715) ab eadem manu repetita. Plurimis nec tamen omnibus paginis glossae interlineares rubrica appinguntur, itemque scholia marginalia.

N. 3. 14, forma quadrata minore, bombycinus, saec. xiv. et bonus liber et nitide scriptus, complectitur Vitam Euripidis, Hecubam, Orestem (sub titulo Electrae), Phoenissas (sub titulo Oedipodis). Scholia marginalia adduntur; glossae interlineares rubro pigmento, nescio an a manu diversa, intertextae sunt. Ad finem voluminis rursus in Hecubam et Orestem incidimus, verum crassa manu in charta perscriptas, et saec. xv. certe non antiquiores.

Mm. 1. 11, easdem fabulas Hecubam, Orestem, Phoenissas exhibet. A duabus minimum manibus exaratus, partim bombycinus, partim chartaceus esse videtur. Scholia et glossae ut in plerisque adduntur; et hae quidem ad Hecubam rubrica appictae. Avulsa fuisse videntur foll. 40, 53, 60, et postea charta suppleta. A fol. 34 liber totus est chartaceus, et manu crassiore exaratus. Ceterum madore et sordibus valde obfuscatus est hic codex, qui ceteroquin minime contemnendus videtur.

Codex Collegii Corporis Christi Cant. numero 403 notatus, forma octona vel quadrata minore, Hecubam, Orestem (sub nomine Electrae), et Phoenissas continet. Et pulchre et accurate scriptus esse videtur, habetque et scholia marginalia et glossas interlineares. Ad finem saec. xiv. vel saltem ad initium saec. xv. pertinere hunc librum crediderim.

In Museo Britannico servantur.

*Harl.* 4952, liber chartaceus saec. xv, Hecubam, Orestem et Phoenissas continens, sine scholiis et glossis. Scriptus est non admodum accurate, manu tremula ac fortasse senili, sed in Phoenissis paullo elegantiori ac faciliori. Haud multum auctoritatis jure huic libro tribuendum videtur. Crediderim haud diversum esse ab